



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

Febricitantes.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)



*Febricitantes.*

## MEDITATIO CXIII.

*Reguli filius febricitans Christi verbo  
sanatur.*

I. **V**enit Iesus iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam regulus, ejus filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset, quia Iesus adveniret à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium ejus: incipiebat enim mori. *Ioan. 4. v. 46. & 47.*

II. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Dicit ad eum regulus: Domine, descende prius, quam moriatur filius meus. Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat. *Ioan. 4. v. 48. 49. 50.*

III. Iam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, & nunciaverunt dicentes, quia filius ejus viveret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri horâ septimâ reliquit eum febris. *Ioan. 4. v. 51. & 52.*

IV. Cognovit ergo pater, quia illa ho-



D. N. IESV CHRISTI. 105  
ra erat, in qua dixit ei Iesus : Filius tuus vi-  
vit. Et credidit ipse, & domus ejus tota.  
*Ioan. 4. v. 53.*

## MEDITATIO CXIV.

*Socrus Petri magnis febribus  
liberatur.*

I. **S**urgens Iesus de synagoga, introiit in  
domum Simonis *Luc. 4. v. 38.* Petri,  
*Matth. 8. v. 14.* & Andreæ, cum Iacobo &  
Ioanne. *Marc. 1. v. 29.*

II. Decumbibat autem socrus Simonis  
febricitans. *Marc. 1. v. 30.* Tenebatur ma-  
gnis febribus. *Luc. 4. v. 38.* Et statim di-  
cunt ei de illa: *Marc. 1. v. 30.* & rogaverunt  
illum pro ea. *Luc. 4. v. 38.* Et Iesus vidit  
socrum ejus jacentem, & febricitantem. *Mat-  
th. 8. v. 14.*

III. Et stans super illam, imperavit fe-  
bri: *Luc. 4. v. 39.* & tetigit manum ejus.  
*Matth. 8. v. 15.* Accedens elevavit eam, ap-  
prehensâ manu ejus: & continuo dimisit  
eam febris. *Marc. 1. v. 31.* Et continuo sur-  
gens ministrabat illis. *Luc. 4. v. 39.*

E 5 ME